



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quartum. Adulterium cum Matrimonio attentato. parag. 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

ceptatio re vera avertit, causatque impedimentum matrimonii, quod incommodum est, & detrimentum. Coninch a putat, valere, quia sumus (ait) in favorabilibus, illud enim matrimonium apprehenditur ab illis adulteris, ut bonum. Quoniam verò utraque sententia est probabilis, rationes utrinque adductæ apud eorum Doctores videantur.

8. Si ex circumstantiis colligatur, illud silentium esse potius contemptum, quam acceptationem, certum est, non sufficere, non esse tunc iudicandum, adesse acceptationem, ut non iudicatur (inquit in simili Delugo l.c.) si dicente Scurre puellæ Regiæ, Tibi promitto matrimonium, puella taceat: tunc enim silentium illud contemptum significat, non consensum.

Ex dictis vides, adulterium solum sine aliâ promissione, vel promissionem solam (quæ certè est peccatum & grave) sine adulterio non esse impedimentum dirimens, ut rectè monet ibidem Averfa.

9. Ex dictis sequentem casum decidamus. Titius, & Catharina bona fide putantes Titii uxorem obiisse, sibi invicem promiserunt matrimonium, deinde cognoverunt eam vivere, & nihilominus commiserunt adulterium, incurrerunt ne impedimentum, de quo loquimur?

10. Respondeo; Incurrerunt (ait Averfa, & in simili Perez d) quia jam adsunt illa duo, quæ ad pariendum hoc impedimentum requiruntur, nempe promissio & adulterium. Et quamvis ex Jure supra dixerimus, Adulterium debere esse formale, hoc est cognitum, ut tale; tamen non invenitur in Jure, quod promissio debeat esse cum notitia, quod, propter viventem conjugem, fieri illa promissio non possit.

11. Hæc illi, à quibus dissentire me cogit distinctio est hic adhibenda. Si Titius, & Catharina adulterium post cognitionem vitæ Bertæ committunt ex vi promissionis factæ, seu ex confidentia, quod erant, (vel ita loquar) sponsi cum spe futuri matrimonii, sanè tunc assentior impedimentum constringere, quia sic persistit promissio & quidem sub mala fide, quæ antea erat sub bona. At verò, si cognita Bertæ vita, apprehenderint Titius, & Catharina, promissionem illam jam evanuisse, quia inter ipsos matrimonium intercedere amplius non potest, committuntque deinde

adulterium abstrahendo ab illa promissione, impedimentum non contrahent, quia sic adulterium non est conjunctum cum promissione, siquidem in illa jam, ut dictum est, in hoc posteriore casu, amplius non persistit.

§. IV.

Quartum Crimen.

*Adulterium conjunctum cum matrimonio attentato.*

1. SI Titius vir Bertæ per Matrimonium, etiam tantummodo ratum, committat cum Catharina adulterium, & insuper iidem id est Titius, & Catharina attentent contrahere matrimonium per verba de presenti, statim enascitur inter ipsos impedimentum dirimens: attentent (dixi) nam vivente conjugè, verum nunquam erit cum alio matrimonium. Neque mirum est, in hoc casu enasci dictum impedimentum; si enim illud, ex sola promissione matrimonii cum adulterio, confurgit, multo magis ex consensu presenti.

Nihil præterea hic notandum occurrit, quod ex proximè dictis colligi non possit.

*Quo Jure inductum est impedimentum Criminis?*

1. SANÈ Jure Ecclesiastico, ut patet ex Textibus iatio hujus Cap. allatis. Verum institui hunc paragraphum, ut notarent duo.

Primum, Cum Infideles, non subiaceant legibus Ecclesiasticis, ideo fit, ut, si duo ex ipsis committant prædicta crimina, non futurum sit invalidum eorum matrimonium ex hoc Capite, ut re ipsa invalidum non fuit matrimonium David cum Bersabæa Adultera, post Utriæ mortem, ab eodem David interfecti.

2. Secundum. Quid si aliquod ex prædictis criminibus committatur ab altero, qui sit Christianus, altero existente Infideli?

Respondeo, Sanè tunc redundat impedimentum dirimens inter ipsum nam ad contrahendum invalidè matrimonium satis, superque est, ut alter ex contrahentibus impedimento alligetur. Quemadmodum

Ep 3; con-